

riæ rei curam aliis relinquere decreueram. Id quod propterea omni dubio præstitissem quoque, nisi semel, iterum iterumque Bibliopolæ iteratæ preces ad nouæ huius editionis curam me mouissent. Nihil vero nouorum capitum additum inuenies Beneuole Lector, sed nouas tantummodo Theses insertas deprehendes, cum nouorum librorum, nouarumque editionum additamentis. Magnam hac in re diligentiam testatam fecerunt, lectissimus frater, Fridericus Gottlieb Struuius, & Carissimus Adfinis, Vlricus Marbachius, utriusque Iurium apud nos Doctores solertissimi, quorum ille circa civilis, hic circa publici Iuris libros fuit occupatus. Faxit Summum Numen, ut ex noua hac editione in studiosam iuuentutem, cuius salus mihi curæ cordique semper est, magna redundant incrementa. Vale, Lector Beneuole, & si quæ notanda fuerint prætermissa, corrigere haud dedignare.

---

PRÆFATIO QUINTÆ EDITIONIS.

L. S.

BVRGARD GOTTHELF STRUVE.

QVinta nunc vice in publicum prodit Bibliotheca nostra Iuris Selecta. Plures iam præterlapsi sunt anni cum nullum amplius curam in emendandam, augendamue eandem adhibere, manumue addere liceret, dum negotia in dies accrescentia illud plane non concederent. Hanc igitur curam in præsentem suscepit Nobilissimus Vir CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDERVS, cuius industriam plus vna vice iamdum commendauimus. Hic